

No. 164. 1268. 13. Juli.

Der Domherr Mag. Walther beurkundet, dass er der Afrakirche ein Talent jährl. Zinses zu Begehung dreier Jahresgedächtnisse übergeben und die deshalb früher getroffene Verfügung widerrufen habe.

Ego magister Waltherus canonicus Misnensis ad notitiam praesentium et ad memoriam futurorum notum facio universis et praesenti pagina protestor, quod talentum meum proprietarium situm in Ranis^{a)} commiseram quibusdam amicis meis et mandaveram, ut de dicto talento vel dimidio ordinarent et disponerent, quod viderent saluti meae animae expedire, literis eis super hoc ut credo patentibus destinatis. Cum igitur ultima voluntas ambulatoria sit testatoris, postea mutato proposito dictum talentum dedi et legavi ecclesiae sanctae Affrae in Misna perpetuo possidendum, ita tamen ut venerabilis patris et domini mei archiepiscopi Magdeburgensis bonae memoriae Willebrandi, matris meae et meus anniversarius de praedicto talento secundum consuetudinem ecclesiae annis singulis peragatur, revocans in irritum omne mandatum vel literas si quas dedi alicui vel aliquibus de supradicto talento vel de dimidio aliud faciendo, quam in praesenti litera continetur. Et ne alicui de supradicto legato ecclesiae sanctae Affrae facto dubietas oriatur, praesentem paginam duxi sigilli mei munimine roborandam. Datum Misnae anno domini M^o.CC^o.LXVIII^o. III^o. idus Julii.

Nach dem Chartular. mon. s. Affrae I. fol. 15^b.

a) Rähnitz, Par. Reichenberg.

No. 165. 1271. 16. Febr.

Markgraf Heinrich cignet dem Chorherrenstift in Schletta erkaufte Geldzinsen.

In nomine domini amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio omnibus praesens scriptum intuentibus imperpetuum. Quoniam ea quae geruntur in tempore, ne simul labantur cum tempore, perhennari solent testimonio litterarum, notum igitur esse volumus universis tam praesentis quam futuri aevi fidelibus, quod cum honorabilis vir dominus Theodoricus praepositus totusque conventus ecclesiae beatae Affrae in Misne quindecim solidos Vribergensium denariorum in censu de tribus mansis sitis in villa Zletowe^{a)} a domino Friderico dicto Quaz pro decem marcis argenti interveniente iusto emptionis et venditionis titulo comparassent, idem Fridericus iam dictos tres mansos Bernhardo de Kamenz, a quo ipsos tenuit, resignavit. Nos vero post liberam resignationem saepedicti Bernhardi, qui antedictos mansos similiter a nobis iure tenuit feodali, eosdem tres mansos praefatae ecclesiae sanctae Affrae liberaliter in proprium dedimus ob remedium animae nostrae et dilectae coniugis nostrae dominae Agnetis felicis recordationis, nec non ob reverentiam omnipotentis dei et gloriosae virginis, matris suae Mariae perpetuo possidendos cum omni iure et utilitate, quae de ipsis bonis iam proveniunt vel provenire poterunt in futuro,

a) Schletta, Par. St. Affra.